

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XII. Ipsemet ordo locorum Theologicorum, ilumque sequendi
necessitas, ostendit, in Theologicis, etiam incertis ac inevidentibus, plus
sanctorum Doctorum autoritati deferendum, quàm visæ cuique ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

De Remediis Ethics laxioris.

47

C A P U T XII.

*Ipsem ordo locorum Theologicorum, illumque
sequendi necessitas, ostendit, in Theologicis,
etiam incertis ac inevidentibus, plus sancto-
rum Doctorum autoritati deferendam, quam
vis a cūque rationi.*

103 **L**ocorum Theologicorum ordinem id ostendere, probatur: ut enim Prol. I. c. 4. n. 29. vidimus ex Melchiore Cano, „ tametsi in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum authoritas; at Theologia tamen una est, in qua non tam rationis in disputando, quam authoritatis momenta quārenda sunt, „ prout optima ratione laudatus Author ibidem comprobavit, confirmataque locorum Theologicorum ordo, communis omnium sensu receptus, quem idem Author I. l. de locis c. 3. numero denario exhibet, quorum septem priores sunt authoritates, 1°. Verbi divini. 2°. Traditio Christi & Apostolorum. 3°. Ecclesiae Catholice. 4°. Conciliorum, praesertim Generalium. 5°. Summorum Pontificum. 6°. Sanctorum Patrum. 7°. Theologorum & Jurisconsultorum. Octavus locus est ratio naturalis. Nonus est authoritas Philosophorum. Decimus, authoritas humanae historiæ. His sic enumeratis, laudatus Author concludit sic: „ Sunt itaque hi decem loci, in quibus argumenta omnia Theologica delitescunt; ecce icilicet distermine, ut quæ ex 7. prioribus locis eliciuntur, propria ferè ea sint hujus Facultatis. Quæ vero ex tribus posterioribus, adscriptitia. „ Atqui propria priora sunt adscriptiū. Prior ergo locus deferendus Sanctorum authoritati, posterior humanæ rationi, siveque haec illi postponenda.

104 Nec minus efficaciter idipsum ostendit necessitas sequendi ordinem locorum Theologicorum. Cum enim ex una parte maximè arduum sit, verum à falso discernere in scholis, ubi omnia plena sunt dissensionibus, contentionibus, tritis & tricis, & ubi, teste D. Clemente initio recognitionum, non tam qui veram partem defendit, quam qui acrius subtiliusque disputat, vincere solet, sententiaque ac definitiones rerum, non pro natura sua & veritate causarum, sed pro ingenii defendantium, falso imaginantur aut vera; ex altera vero parte, tot inter tricas, ac sine fine certamina, necessariae sint regulæ, seu principia discernenda veritatis inter tot & tantas dissensiones latentis, sine quibus haud minus impossibile est veritatem scientialiter invenire, quam scientiam & artem quamlibet sine regulis & principiis scientiæ & artis adipisci. Denique cum inverso ordine regularum, regulæ jam non sint regulæ (ut enim regulæ sint, esse debent ordinatae) necessariò servandus est inter regulas ordo; ille maximè, quem providentia divina præstituit (cum ad veritatem à falsitate tutò discernendam divino opus sit magisterio; quo destituuntur qui

negligunt vel invertunt ordinem præscriptum à Deo.) Igitur possibile non est Theologicam veritatem scientialiter invenire, sapientiamque adipisci, non servato locorum Theologicorum ordine. Ut pote quorum alia ex aliis dependent, alia aliis subordinantur. Cetera namque principia subordinantur primo, quod est divini verbi authoritas. Authoritas quoque sanctorum Doctorum subordinatur authoritati Ecclesiæ. Et quia Theologia ex præmissis innititur unicè, vel potissimum, doctrinæ revelatae, cuius fidèles depositarii sunt SS. Patres, ad hoc divinitus impleti spiritu sapientia: hinc est quod sicut Philosophia Theologia, in ordine ad veritates Theologicas subordinatur; sic & ratio naturalis (propria Philosophiæ) authoritati, tum Scripturæ, tum Ecclesiæ, tum SS. Patrum, quæ propria est Theologia. Maximè cùm ordo à divina providentia præscriptus ad sapientiam Theologicam acquirendam, exigat minus sapientes in ea instrui per sapientiores, & maximè per SS. Doctores, sicut inferiores Angelos per superiores, ut supra vidimus, eorumque proinde authoritatem præferri privatæ cūjusque rationi. Unde & Theologi omnes, qui de locis Theologicis scriperunt, priorem locum tribuunt sanctorum Doctorum authoritati, quam humanæ rationi.

C A P U T XIII.

Duplex replica solvitur, & utrinque solutione amplius ostenditur, rationem rectam non permittere humili, modesto, prudentiisque Christiano, in materia (præsertim Theologica) incerta & inevidenta, plus deferre rationi sibi visę, quam communi Sapientiorum, & maxime sanctorum Patrum doctrina.

AT (inquit humanæ rationis supra SS. 104 ADD. authoritatem exaltatores) quamvis SS. Doctores Majoresque nostri, nobis absolute fuerint Sapientiores, equidem homines fuerunt; adeoque potuerunt in aliquo decipi, sive aliquid minus Sapienter tradere: cùm in sola Apostolica Sede, atque in Ecclesia universalis authoritas infallibilis resideat. At (inquam ego) quicumque tu es, qui ista dicis, & ipse homo es, immo in comparatione ipsorum, homuncio; in comparatione Gigantum illorum, nanus; in comparatione Aquilarum illarum, noctua & vespertilio. Si ergo potuerunt illi decipi, quia homines; multo magis tu, longè minori lumine Sapientiæque perfusus, majorique proinde deceptionis & erroris periculo obnoxius. In particulati ergo causa (ubi veritas in contrarium manifestè non affulget, sive per experientiam, Majoribus incognitam, sive per Ecclesia definitionem noviter factam, &c. quod rarissimum profectò est) si sobrie sapis, præsumere debes potius te decipi, quam ipsis, prudenterque timere, ne vanæ rationis imagine deludaris, dum male suadant rationem tuam, tantorum Virorum.